



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

16 Vtrum subditus debeat Prælato præcipienti, reuelare culpam occultam
alterius fratris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

gius facit praelato, in futurum est propter charitatem. Ergo non militat contra charitatem, qua quilibet tenetur seruare fidem proximo.

RESPON. Dicendum, quod sicut Bernardus dicit in li. de dispensatione & precepto. Sufficiens obedientia est, ut religiosus obediat suo praelato de his quae ad regulam pertinent vel indirecte, sicut ea quae sunt scripta in regula: vel indirecte, sicut ea quae ad haec reduci possunt, sicut in ministeria exhibenda fratribus, & poene pro culpis iniuste, & huiusmodi. Perfecta autem obedientia est, ut simpliciter in omnibus obediat, quae non sunt contra regulam, vel contra Deum: sed quod aliquis obediat praelato in his quae sunt contra Deum, vel contra regulam, est obedientia incauta & illicita. Est ergo confessio secretum fidei suae commissum reuelare. Circa quod distinguendum est de secreto. Est enim aliquod secretum, quod illicitum est edere, sicut quod in peccatum uergit aliorum, quibus aliquis cabere tenetur. Unde & in iuramento fidelitatis continetur, quod huiusmodi secreta debeant dominis reuelare. Ad preceptum ergo praelati tenetur religiosus tale secretum pandere, etiam si promissum sit non reuelare, dicente sidor. In malis promissis rescindit de fide, nisi forte in confessione audierit, quia tunc nullo modo esset reuelandum. Est autem aliud secretum, quod de se edere potest sine peccato, & tale secretum religiosus nullo modo praelato precipiente pandere debet, si fidei suae commissum, peccaret enim frangendo fidem commissam.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod solemnior est obligatio ad seruandum ea quae sunt fidei & charitatis, quae est ex lege naturali & ex promissione in baptismo facta, quae est ex professione religionis.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum subditus debeat praelato precipienti reuelare culpam occultam alterius fratris.

Art. 81. o. &
22. q. 32. art.
7. ad 5. q. 70.
1. o. & ad 2.

Circa secundum sic proceditur. Videtur, quod subditus debeat praelato precipienti reuelare culpam occultam alterius fratris, quia ut Hiero. dicit. Non debet occultari culpa vnius in praedictum multorum: sed praesumendum est, quod praelatus culpam vnius cognoscere velit propter multitudinis bonum. ergo praelato precipienti debet culpa alterius reuelari.

SED CONTRA est, quod Gre. dicit, quod & si aliquando propter obedientiam debemus aliqua bona dimittere, nullo tamen modo propter obedientiam debemus aliquod malum perpetrare: sed malum esse videtur culpam occultam detegendo alium infamare. ergo hoc propter obedientiam fieri non debet.

RESPON. Dicendum, quod religiosus praelatus in capitulo praesertim, sicut iudex ecclesiasticus in foro iudiciali. Unde ad ea potest ex precepto subditos obligare, ut ei pandantur, propter quod potest iudex ecclesiasticus in foro iudiciali iuramentum exigere. Est ergo sciendum, quod in criminibus triplex est modus procedendi. Vnus per denuntiationem, alius per inquisitionem, alius per accusationem. In via ergo denuntiationis, intenditur correctio delinquentis; & ideo secundum preceptum Domini Matt. 18. debet precedere fraterna correctio, ut scilicet corripias eum inter te & ipsum solum, quod si non audierit, coram duobus vel tribus testibus, & ultimo dicatur ecclesiae. Charitatis enim est, ut aliquis parcat fratri quantum potest, unde prius debet niti, ut corrigat conscientiam fratris seruata fa-

ma solitarie admonendo, & postmodum coram duobus vel tribus, tandem negligenda est fama ut emendetur conscientia, & dicendum est ecclesiae, in quo etiam processu consulitur conscientia. Nam peccator si a principio videret se publicatum, amitteret verecundiam, & obstinatio fieret ad peccandum. In inquisitione vero debet precedere infamia. In accusatione vero debet precedere inquisitio, per quam ipse obligat se ad rationem. In inquisitione autem & accusatione intenditur poena peccantis propter multitudinis bonum. Si ergo appareat accusator in capitulo quod te obligat ad rationem, potest praelatus precepto veritatis confessionem exigere, sicut & in lex ecclesiastica iuramentum. Et similiter si procedat in infamia, potest praelatus precepto veritatem exquirere, & subditi tenentur obedire. Si autem procedatur per viam simplicis denuntiationis, non tenetur religiosus praelato precipienti culpam fratris reuelare, nisi precedente mentione cum videat incorrectum, immo magis peccaret, si ad preceptum praelati reuelaret, quia plus tenetur obedire euangelio quam praelato, & multo magis praelatus peccaret, si subditum induceret ad pervertendum ordinem euangelij.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod de peccato praeterito, de quo iam aliquis correctus est ad secretam admonitionem, vel de quo potest sperari corrigendus, nisi contrarium inueniatur, non potest imminere periculum multitudinis: sed de peccato futuro, quod est periculosum multitudinem vel spiritualiter, vel corporaliter, procedit obiectum. Tunc enim non oportet admonitionem secretam expectare, sed statim periculo occurrere, unde & dominus non dicit, Si peccare intendat in futuro, sed si peccauerit in praeterito.

QVAESTIO IX.

DEINDE quaeruntur quatuor ad culpam pertinentia.

- ¶ Primo, Vtrum peccatum sit natura aliqua.
- ¶ Secundo, vtrum peritium sit grauius peccatum quam homicidium.
- ¶ Tertio, Vtrum peccet qui propter ignorantiam constitutionem papae non seruat.
- ¶ Quarto, Vtrum monachus peccet mortaliter comedendo carnes.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum peccatum sit aliqua natura.

AD PRIMUM sic procedebatur. Vtrum peccatum sit aliqua natura. Dicitur enim Io. 1. Sine ipso factum est nihil, id est, peccatum: sed quod est natura aliqua, non potest dici nihil. ergo peccatum non est natura aliqua.

SED CONTRA. Si peccatum non est natura aliqua, oportet quod sit priuatio pura: sed priuatio pura non dicitur secundum magis, & minus, ut mors & tenebra: ergo unum non esset grauius altero, quod est inconueniens.

RESPON. Dicendum, quod peccatum maxime transgressionis, est actus inordinatus. Ex parte ergo actus, peccatum est natura aliqua: sed inordinatio est priuatio, & secundum hanc peccatum dicitur nihil. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

ARTI